

ACTA CONSISTORIALIA
CREATIONIS
Eminentissimorum ac Reverendissimorum
S.R.E.CARDINALIVM,


Institutæ

Sanctissimo D. N. CLEMENTE XI. P.M.

Diebus 17 Maij & 7 Junii, Anno Sal. 1706;
Accessit eorundem Cardinalium brevis delineatio.

Coloniæ 1707.

Bayerische
Staatsbibliothek
München



Typographus ad Lectorem.



Cta hac creationis Cardinalium, annuente Summo Pontifice CLEMENTE XI, ad nos transmissa sunt, ut ea in Germania nostra quam emendatisime prodirent. Neque forte nos officio nostro defuisse existimabimus, utut exemplum haud sati nitide descriptum nacti. Premissimus autem Gravina, qui inter eruditos Italiae principatum fere obtinet, ad Excellentissimum Virum, Huyssenium, epistolam, ante obitum Philippuccii, qui in diem 15 Julii incidit, scriptam, ne obscurae essent nostris hominibus Summi Pontificis virtutes, atque ut pateret pariter, quibus hac Acta accepta referre debeant. Ne quid præterea ad historiam recens creatorum Cardinalium deesset, nonnulla de eorum vita ex idiomate Italico, quo consignata erant, translata in fine adjecimus; que cuncta Lectori gratissima futura speramus. Eundem certiorem quoque hac occasione facimus, doctissimum Gravinam libros posteriores de Origine Juris, quorum primum, Neapoli editum, curate in Germania recudimus, nostris primum typis exscribendos propediem nobis transmissurum, ut & Institutiones Juris eleganter contextas, & Orationes ornatissimas. Interim his ejus Actis utere, & nobiscum vires integras optimo Viro precare. Vale.

A 2

J. Vin-

J. VINCENTIUS GRAVINA
EXCELLENTISSIMO VIRO
HENRICO HUYSENNO,
S. P. D.

Missem ad te libenter, quas expetis, Pontificis nostri Sacratissimi res gestas, cum publicas, tum privatas, si ullo humano consilio earum commentarios mihi abducere licuisset e latebris, ubi suo jussu procul a communi luce conduntur. Ac vehementer gauderem comprobare inde tibi animum illius, in omni ætate ac fortuna supremæ dignitati parem. Quam multos enim tuos ante oculos statuerem doctos piosque viros, aut ejus commendatione a superioribus Pontificibus exornatos, aut eductos ab egestate clandestinis largitionibus & opibus, quæ indigentibus de re ipsius familiari tacite, ac sub tunica proferebantur? Quam summam beneficentiam si quis apud eum commemorasset, laudandique illius occasionem inde cepisset, tanto rubore suffundebatur, ut pudor prope in indignationem transire videretur: et qui æquam in arduis pariter ac prosperis mentem perpetuo sustinebat, sola propriæ virtutis mentione perturbabatur: cuiusque opera opinionem superabant aliorum, ab ejus tantum desiderio vincebantur. Quid dicam de illius animi præsentia in proximis naturæ periculis, de pruden-

dentia consiliorum, de laboribus publicæ utilitatis causa perpetuo toleratis? quarum omnium virtutum seri-èm magnis & assiduis exemplis explicatam haberes, ac forsitan per me habebis aliquando, si, cum facultas pe-tendi dabitur, persuadere illi potero, Principis mode-stiam id sibi sumere non debere, ut lucem auferat præclaris ejus operibus, & subducat posteris memoriam eorum, per quæ in omnes gentes priscæ pietatis docu-mentum, & imitatio traducatur. Princeps enim, qua-tenus Princeps, adeo non suus est, sed totus alienus, ut vix quidquam juris retineat in propriis virtutibus: quæ ut proprietate sint autoris sui, ulu certe atque fructu fiunt aliorum, quibus regendis fuit assumptus, quibus-que poscentibus, nisi benefacta Principis & memoria illorum exhiberentur, virtus illa, quæ propter imitatio-nem æterna maneret, in caducam & temporariam summa cum posteritatis injuria verteretur. In præfenti ve-ro, cum ad manum alia non habeam, tibi mitto actus proximæ creationis Cardinalium descriptos e Consisto-rialibus monumentis. Qui sane actus digni sunt, ut e continent serie rerum gestarum avellantur, ac seorsum vulgentur, propter magnitudinem rerum & exempo-rum novitatem, gravitatemque cum operum tum ver-borum. Nam præter sententias ab E. E. Patribus de more sapienter dictas, in quibus Collegam sibi a Sanctissimo Patruo jure depositam adolescentem omnibus doctrinis & virtutibus ornatissimum, occurrit jucun-

de tibi plures orationes S. Pontificis, quæ, ut de versibus
Euripidis censebat ille, tertio quoque verbo continent
immortalia documenta vitæ. Occurret ejusdem in-
credibilis quidem, sed peracerbus omnibus in hac uber-
rima honorum distributione neglectus sui atque suorum;
qui proprius meritis in Ecclesia & Rep. sublimiora mu-
nerum obirent, nisi consanguineus imperaret. Occur-
ret postremo admirabilis, & perquam rara vel in sacra
historia immortalis senis Philippuccii ab oblata præcelsa
dignitate abstinentia, quam ille fortem antevertit a se per
summæ auctoritatis Cardinalem deprecari scripto, post-
quam eam sibi sensit impendentem: adeo ut metuens
auctoritate Pontifica sibi præclusum iri fugam, veluti de
cœlo tactus conciderit, febrique correptus non ante
convaluerit, quam S. Pontifex consultis Patribus eum
trepidatione illa liberasset. Cujus nuncii pharmaço
doctissimus Archiater Pontificius, ad ægrum curandum
missus, morbum confessim cedere animadvertisit, ut se-
nem beatum, quem semianimum invenerat, post hunc
nuncium viderit prope juveniliter exilientem. Tan-
tam in animos aliorum virtutem propagavit exemplo
suo Pontifex noster: qui non alia ex causa recusatam ab
se diu supremam potestatem suscepit, nisi ut, quam fu-
gere salva pietate non poterat, molem curarum inde
imminentem publico beneficio complecteretur. Quo-
niam vero tuis in litteris jubes, ut scripta nostra ad de-
ferantur, nos libros Originum a castigatione nostra jam li-
berare

berare festinavimus. Addemus & septem orationes nostras, ad morum & literarum emendationem ac regimen pertinentes, nempe primam de instauratione studiorum ad Clementem XI, Pont. Max: secundam de sapientia universa, tertiam de Juris prudentia, quartam pro novis Philosophis, quintam de repetendis fontibus doctrinarum, sextam de recta in jure disputandi ratione, septimam de canone interiori. Institutiones meas jam tradidi describendas, ut post Annū si fuerint absolute, ad te mittam, quæ sunt quotidiani usus in foro etiam, nedium in scholis: adeo ut non solum inter eruditos, sed apud vulgus possint frequentes lectores invenire. Hoc enim Institutiones nostræ cæteris præstant, quod parvilo cum Justinianeis contexuntur, neque notis & commentariis verba scinduntur, sed sunt paraphrasis & commentariorum instar, brevitatem ordinemque illius, horum vero facilitatem copiamque reddentes & eruditiorum explicationes brevissime complectentes. Vale, meque tui studiosissimum & amantissimum, ut facis, redama. Romæ prid. Id. Jun. M DCC VI.

ACTA



ACTA CONSISTORIALIA CREATIONIS S.R.E. CARDINALIUM.



Nter innumeras, & gravissimas curas, quibus sub onere Apostolici Principatus assidue premitur Pontifex maximus, illa præcipuum merito locum obtinet, quæ ad Eminentiss. S. R. E. Cardinales eligendos spectat. *Nibil enim Ecclesia DEI magis est necessarium*, sicuti sacri Tridentini Concilii Patres sapienter adverterunt, *quam ut Romanus Pontifex, quam sollicitudinem universæ Ecclesie ex munericu*s* officio debet, eam hic potissimum impendat, ut lectissimos tantum sibi Cardinales asciscat.* *Sess. 24 de Ref. c. i.* Quod sollicito reputans animo Sanctissimus Clemens XI Pont. Max. non nisi post matutinam ac diuturnam deliberationem, atque assiduis, accuratisque precibus imploratum cœlestis gratiæ lumen, ad novos Cardinales creandos, qui orbata jam dudum sacri Collegii subsedilia implerent, adductus est. Ut vero, quos tanto muneri pares censuit, sedula circumspectaque cogitatione delegit, Sacrum Consistorium in Palatio Vaticano die 17 Maii 1706 indici jussit, ut in eo solemniter cœtu designatos Cardinales proponeret, ut moris est, ac evulgareret. Habitum itaque dicta die fuit Consistorium, cui interfuerunt viginti quatuor Eminentissimi S. R. E. Cardinales, quotquot fere in urbe degebant. Post privata singulorum cum sua sanctitate colloquia, deuentum de more fuit ad plurium Ecclesiarum propositionem, vel præconium, quibus finitis Pontifex universos Eminentissimos Patres e Pontificia sede ita est allocutus:

Vene-

Venerabiles Fratres. Postulat Roma, postulat Curia, postulat Ecclesia, ut imminutum jam valde Fraternitatum vestrum numerum augeamus. Hinc Christi Domini exemplo moniti, qui, antequam e discipulis suis eligeret Apostolos, exiit in montem orare, & fuit pernoctans in oratione Dei, illiusque potissimum temporis opportunitatem nacti, quo iidem Apostoli, post Christi Domini consensum in cœlos, mox adventuro spiritu veritatis replendi, erant omnes unanimiter in oratione perseverantes: enixi tam nostris, quam aliorum precibus Patrem misericordiarum exoravimus, ut nobis divinæ suæ gratiæ lumine adesset, quo tales ad sublime hoc in Ecclesia Dei munus deligeremus, qui eximiam pietatem ac zelum vestrum æmullantes gravissimum infirmitati nostræ impositum onus levare, ac pastoralem sollicitudinem nostram opera & consilio juvare non prætermitterent. Hac igitur, quam tam ferventer imploravimus, coelesti ope confisi, ad majorem omnipotentis Dei gloriam sanctæque Romanæ Ecclesiæ decus & utilitatem, creare intendimus eos omnes, nempe viginti, qui ad septuagatinum vestrum numerum complendum in præsens desunt, Cardinales, & ex his novendecim nunc evulgare, videlicet:

Franciscum Martellum, Patriarcham Hierosolymitanum,
 Joannem Badoero, Patriarcham Venetiarum,
 Laurentium Casonum, Archi-Episcopum Cæfareæ,
 Laurentium Corsinum, Archi-Episcopum Nicomediæ,
 Laurentium Fliscum, Archi-Episcopum Januensem,
 Franciscum de Aquaviva, Archi-Episcopum Larissensem,
 Thomam Ruffum, Archi-Episcopum Niceæ, Cubiculi nostri Præfectum,
 Horatium Philippum, Archi-Episcopum Spadam, Episcopum Lucanum,
 Philippum Antonium, Archi-Episcopum Gualterium, Episcopum Imolensem,

ACTA CONSISTORIALIA.

Christianum Augustum, e Ducibus, Saxoniæ Episcopum
Jaurinensem,
Raynutium Pallavicinum, almæ urbis nostræ Gubernato-
rem,
Joannem Dominicum Paraccianum, Protonotarium Apo-
stolicum, & Auditorem nostrum,
Alexandrum Caprara, & Josephum de la Tremoille, Ro-
tae Romanæ Auditores,
Gabrielem Philippuccium, Signaturæ Justitiæ Votantem,
Carolum Augustinum Fabronum, Congregationis de pro-
paganda fide Secretarium,
Carolum Columnam, Protonotarium Apostolicum, & Pa-
latii Nostri Apostolici Præfectum,
Pétrum Priolum, Cameræ nostræ Apostolicæ Clericum, ac
Alexandri VIII Prædecessoris nostri Pronepotem, cuius
memoriæ notum omnibus est, quantum debeamus,
Nicolaum Grimaldum, Congregationis Episcoporum, &
Regularium Secretarium.

Unum in pectore reservare intendimus, arbitrio nostro
quandocunque evulgandum. Quid vobis videtur?

Tunc Eminentissimus Dominus Acciniolus, Cardinalis an-
tiquior primum, ac subinde reliqui Eminentissimi Patres, ser-
vata inter eos ordinis, & loci prærogativa, sententiam dixerunt;
singuli tum prostantium virorum virtutes & merita effusis lau-
dibus extulerunt, eorumque in sacrum Collegium cooptatio-
nen consilio, & assensu unanimi probavere. Unum tamen
communis gaudii complemento deesse viginti ex ipsis palam
affimarunt, ut scilicet Sanctitas sua ad amplissimam hanc di-
gnitatem assumere dignaretur etiam

D. Abbatem Annibalem Albanum, germani fratris filium:
eſſe illi ætatem ad ejusmodi honorem capessendum idoneam;
plura ipsum, ac illius tria ingenii & eruditionis specimina pro-
didit.

didisse, non tantum in amoenioribus studiis, verum etiam in severioribus disciplinis: Theologicas insuper Theses ante plures annos in totius conspectu urbis magno cum plausu publice propugnasse: ac post adeptam tum in eadem facultate, tum etiam in utroque Jure lauream Doctoralem in forensibus studiis majorum urbis Tribunalium diu laudabiliter fuisse veratum: ejus denique prudentiam, pietatem, morum integritatem omnium sermonibus celebrari; proinde qui communis omnium consensu probaretur, tantoque munere dignissimus haberetur, ex Pontifica moderatione nequaquam reprobandum videri. Quidam Pontificis animum flectere aggressi sunt variis propositis exemplis Pii II, Pii V aliorumque Pontificum, qui sacro flagitante senatu, nepotes suos ad Cardinalatus honorem evēhere non recusarunt. Alii demum commemorarunt, hac ipsa recurrente die, Anno 1570, ab eodem Pio V sacro Cardinalium cōcūti adscriptum fuisse Joannem Hieronymum Albanum, Sanctitatis suæ gentilem, pietatis literarumque gloria celeberrimum, adeoque maxime decere ajebant, ut ea ipsa feliciter die sua Sanctitas sacro Collegio redderet Cardinalem Albanum, communibus expetitum votis, domesticarum virtutum æmulum, eidemque collegio præsidio simul ac ornamento futurum. Porro Eminentissimi D.D. Sacripantes, Prodatarius, & Pauluccius, a Secretis Status, et si cum reliquis omnino sentirent, ab ejusmodi tamen petitione sibi, ut Pontificis Administris, abstinentum esse duxerunt. At Pontifex sacri Collegii precibus minime delinitus, nec allatis rationibus, & exemplis a proposito revocatus, nepote præterito, eos tantum Cardinals creavit, quos supra memoravimus, pronuntiavitque desuper Apostolicum solemne decretum, ex consueta verborum formula tenoris sequentis, videlicet:

Auctoritate omnipotentis Dei, & sanctorum Apostolorum, Petri & Pauli, ac Nostra creamus S.R.E. Presbyteros & respe-

ctive Diaconos Cardinales, Franciscum Martellum, Patriarcham Hierosolymitanum, Joannem Badoero, Patriarcham Venetiarum, Laurentium Casonum, Archi-Episcopum Cæfareæ, Laurentium Corlinum, Archi-Episcopum Nicomediæ, Laurentium Fliscum, Archi-Episcopum Januensem, Franciscum de Aquaviva, Archi-Episcopum Larissensem, Thomam Ruffum, Archi-Episcopum Niceæ, Horatium Philippum, Archi-Episcopum Spadani, Episcopum Lucanum, Philippum Antonium, Archi-Episcopum Gualterium, Episcopum Imolensem, Christianum Augustum, e Ducibus Saxonia, Episcopum Jaurinensem, Raynutium Pallavicinum, Joannem Dominicum Paraccianum, Alexandrum Caprara, Josephum de la Tremoille, Gabrielem Philippuccium, Carolum Augustinum Cabronum, Carolum Columnam, Petrum Priolum, Nicolaum Grimaldum, cum dispensationibus, derogationibus, & clausulis necessariis, & opportunitis. Unum in pectore reservamus, arbitrio nostro quando cunque declarandum. In Nomine Patris + & Filii + & Spiritus + Sancti. Amen.

His peractis Eminentissimus D. Cardinalis Mariscottus, qui aliquot ante dies Sanctissimo nuntiaverat, se a R. P. D. Gabriele Philippuccio fuisse rogatum, ut quatenus sua Sanctitas ipsum sacro Cardinalium senatui adscribere decrevisset, id impedire, atque Pontificem a sententia deducere conaretur, certens ipsum in ea constantem perstuisse, rursus ejusdem D. Philippucci preces exposuit, humiliter supplicantis, ut sua Sanctitas recusationem Cardinalatus, cuius oneribus ferendis se prorsus imparem agnoscebat, benigne admittere dignaretur, ac deinde assurgens reverenter exhibuit Sanctitati suæ supplicem libellum scriptum, subscriptumque ab eodem D. Philippuccio, quo hac ipsa petitio continebatur. Pontifex acceptum libellum legendum tradidit Eminentissimo Domino Cardinali Pamphilio, Priori Diaconorum, qui statim eum palam in Consistorio recitavit; ejus autem exemplum hic subjicitur:

P. P.

P. P. Invaluit rumor, Sanctitatem Vestram inter Cardinalia dignitate decorandos me quoque adscribere deliberasse. Fator ingenue, me hujusmodi rumorem non modo vanum prorsus & inanem, sed etiam summa prudentie Sanctitatis Vestra injuriosum semper habuisse & adhuc habere, cum re vera me nulla ex its qualitibns praeditum agnoscam, quibus ad tanta dignitatis culmen paratur adscensus. Verum quia summa & innata bonitas, quae in Sanctitate Vestra residet, bis omnibus posthabitatis, vere adhuc efficere posset, qua falso, ut dixi, a fama nunciata fuisse existimavi: idcirco in hoc casu humillime provolutus ad pedes Sanctitatis Vestrae, majori, qua possum, submissione, aliis quamplurimis rationibus omissis, pono ante ejus clementissimos oculos gravem meam etatem, qua in hisce postremis diebus omnino indiget pace & quiete, non autem agitationibus, quas secum ferunt negotia eidem dignitati necessario annexa. Spero itaque, Sanctitatem Vestram, benigne admittituram esse eam, quam post diuturnas ad Deum fusas preces sponte, libere, & matura pravia deliberatione nant facio, & in qua, Deo dante, constantissime, quoad vixero, perseverabo, recusationem, vel potius non acceptationem, seu etiam, si opus fuerit, repudiationem aut renunciationem Cardinalatus; cum præventiva tamen facultate, quatenus opus sit, si ita placeat summa bonitati Sanctitatis Vestrae, retinendi pro mea honesta sustentatione Canonicatum, quem nunc obtineo in Ecclesia S. Johannis in Laterano, cum pensionibus, una scilicet super altero Canonicatu ejusdem Ecclesia, alia super Canonicatu Basilica S. Petri, & reliqua super dignitate Cathedralis Alsina, nec non alia officia, que modo similiter obtineo. Venerabundus deosculor pedes Sanctitatis Vestrae, deprecans ei a Deo Opt. Max. omne bonum.

Humillimus & obsequentissimus subditus,
GABRIEL PHILIPPUCCIUS.

Absoluta hujusmodi libelli recitatione, Sanctissimus, et si animum a compellendo invito alienum ostenderet, asserens se toto sui Pontificatus tempore neminem unquam renuentem ad Episcopale munus suscipiendum cogisse, & cæteroquin expediens ducere, ut præclara hæc Christianæ humilitatis exempla aliquando ederentur: noluit tamen illico quidquam decernere, sed meritissimo viro longius tempus ad deliberandum in re tam gravi concedere velle declaravit. Interea vero singuli Eminentissimi Patres e subselliis surgentes ad Pontificiam sedem accessere, obfessumque Pontificem validioribus, quam antea, precibus aggressi sunt, ut D. Abbatem Albanum, nepotem ea ipsa die sacra decorare purpura dignaretur. Verum Pontifex sententia terax novam hanc oppugnationem fortiter exceptit, propulsavitque, quin imo vultu commotior ait se eorum suffragia exquisivisse pro iis, quos Cardinales creare intendebat, non autem pro iis, quos creare minime intendebat, adeoque omnino ab ejusmodi sibi molesta petitione desisterent. Quibus verbis universos dimisit, ingenti profecto admiratione perfusos, quod Pontifica constantia obnixis iteratisque sacri Collegii precibus fleti minime potuisset.

Eadem die vespertinis horis omnes renunciati Cardinales, Romæ degentes, præter D. Philippuccium, scilicet Eminentissimi Martellus, Casonus, Corsinus, Fliscus, Ruffus, Pallavicinus, Paraccianus, Caprara, de la Tremoille, Fabronus, Columna, Priolus, & Grimaldus, in Vaticanum palatum concessere, purpureum birretum, atque mozzettam, ut vocant, a Sanctissimo accepturi, eique de sua in sacrum Collegium cooptatione gratias, ut moris est, acturi. Eos omnes Pontifex in cubiculo, ubi sacræ Inquisitionis Congregatio haberi solet, benigno, lætoque vultu exceptit, ad osculum Pontificiorum pedum admisit, ac subinde ceremoniarum magistris opem ferentibus, purpureo birreto singulos, atque mozzetta decoravit. His personis

actis Eminentissimus Martellus suo, collegarumque nomine, satis gravi, ac ornata oratione Italicis verbis composita Sanctissimo gratias egit. Cui Sanctitas sua eodem sermone in hunc fere modum respondit:

Devoti obsequii, gratae animi sensus, quos ob acceptam Cardinalitiam dignitatem profitebantur, sibi perjucundos accidere. Ipsam quidem dignitatem omnium esse maximam, qua ab Apostolica sede conferri possunt, jure tamen ipsis delatam esse, quorum spectata virtutes, atque praelata in Apostolicam sedem merita jamdudum tali eos premio dignissimos declarabant. Porro non alia ab eis grati animi se expetere documenta, nisi quod propriis officiis partes sedulo implere studerent. Reminiscerentur idcirco, sibique attente consideranda proponerent verba Cantici Annae: Domini enim sunt Cardines terrae, & posuit super eos orbem: 1. Reg. c. 2. vers. 8. quibus verbis Cardinalatus essentia & quidditas demonstretur; Cardinales enim, ut notum est, a Cardine denominari. Hos autem Cardines non mundi, non carnis & sanguinis, non Principum seculi, vel alterius cuiuscunque persona, sed Dominus duntaxat, ut sacer textus admonet, Cardines esse debere, id est nulli partium studio addictos, sed Ecclesia Apostolica sedis, adeoque IESU Christi tantum obsequiis mancipatos. Adverterent præterea diligenter, sacrum textum non dicere: posuit eos super orbem, sed: posuit super eos orbem, ut per hunc loquendi modum Cardinales edoceantur, ipsorum munus esse Ecclesia onera sane gravissima sustinere. Eminentissimum igitur, qui ad sublimem hunc gradum assumitur, proponere sibi debere, se a Deo non ad otium, delicias, fastumve; sed ad labores, curas, atque sollicitudines vocatum esse. Romanum Pontificem servum servorum appellari, hujusce Pontificie servitutis Cardinales quoque, qui perpetui ejus Coadjutores & Consiliarii sunt, participes esse oportere, quin etiam ejusmodi servitutis nunc maxime potiorem, quam unquam alias, partem illius subeundam esse, propter infirmita-

ACTA CONSISTORIALIA.

mitatem ipsiusmodi Pontificis, qui difficultissime temporibus se tanto oneri ferendo plane imparem agnoscebat. Meminisse igitur eos debere, Cardinalium officium in eo pricipue situm esse, ut Pontifici oportunis consiliis & monitis adfint, etiam irrequisiti. Eo ipsis officio diligenter fungi, quam enixe cupere, eaque de re cuiusque illorum conscientiam districte onerare. Minime tamen ambigere, quin cum hanc, tum reliquas omnes suscepti munera pars es egregie impleturi forent, ac palam semper facturi, probe intelligere, non eos super orbem, sed orbem super eos positum esse. Quod si fecissent, ut omnino sibi pollicebatur, ex ipsisorum creatione magnum Sanctitati sue meritum apud Deum, magnum itidem Catholicæ Ecclesiæ presidium & decus, magnum denique eorum animabus emolumenatum comparatum iri. Que ut feliciter evenire vellet, divinam bonitatem enixis assiduisque precibus exorare non prætermitteret.

Dimissis postmodum Eminentissimis Cardinalibus, Pontifex de persona D. Philippucci Cardinalatum renuentis delibera-
re cœpit. Misit itaque postridie Patrem Franciscum Mariam Casinum, ex familia Capucinorum, sacri Palatii Apostolici Concionatorem, pietatis, prudentiæ, doctrinæque laudibus insigne-
nem, qui nullo hortationis genere prætermisso, hominem de
suscepta sententia revocare, & ad accipiendam Cardinalitiam
dignitatem adducere niteretur: eique præterea subsidia expo-
neret, quibus Sanctitas sua domesticæ illius rei angustiis libe-
rali plane animo subvenire decreverat. Irritus tamen fuit Pon-
tificius conatus; nam D. Philippuccius propositi tenax nullis
omnino rationibus flecti potuit. Quinimo ex ejusmodi sibi
permolesto successu eam suscepit animi ægritudinem, ut in ad-
modum gravem, ancipitemque corporis morbum delapsus fue-
rit. Quod ubi rescivit Sanctitas sua, illico misit Illusterrimum
D. Joannem Mariam Lancisium, Medicum intimum Pontifi-
cium, qui suo nomine ægrum inviseret, eumque consolari &
a suscepto mœrore abducere conaretur. Ex-

Explorato vero jam satis superque D. Philippuccii animo, Pontifex Maximus, ne quid inconsulte decerneret, exquendum censuit votum complurium D. D. Cardinalium, sapientia & rerum usu præstantium, itaque negotium serio ac diligenter expendendum commisit Eminentissimis D.D. Acciajolo, Carpineo, Mariscotto, Spada, Colloredo, Pantiatico, Sacripanti, Ferrario, Spinola, Pauluccio, Sperello, Pamphilio, ac Ottobono, constituta ex ipsis peculiari congregatione, cuius Secretarium, R.P.D. Coradinum, Sanctitatis sua Auditorem designavit. Coacta igitur ejusmodi Congregatione in ædibus Eminentissimi Acciajoli die 25 Maii 1706, discussioque mature dubio, an R. P. D. Philippuccius a Sanctissimo cogendus esset præcepto sanctæ obedientiæ ad Cardinalatum suscipiendum, ejusque insignia gestanda, cæteraque solemnia peragenda, Eminentissimi Patres unanimes cogendum non esse censuerunt.

Post hæc idem D. Philippuccius in proposito usque magis constantior perseverans, ne de fixa deliberataque ejus voluntate refutandi, vel etiam renuntiandi Cardinalatum unquam dubitari contigeret, omnia & singula in supplici superius enunciato libello contenta confirmavit, ampliavitque, ac uberiorius adhuc & solemnius animum suum ea in re declaravit, publico desuper die 31 ejusdem Mensis Maii 1706 celebrato instrumento, cuius exemplum inferius subjicietur.

Cernens itaque Sanctissimus Pater, nullam jam sibi reliquam esse spem flectendi viri constantiam, vimque renuenti juxta Congregationis sensum adhibendam non esse dicens, tandem ad enixas illius preces exaudiendas benignum animum inclinavit. Indici propterea jus sit sacrum Consistorium Fer. II. die 7 Junii 1706, quo rite coacto præsentes Eminentissimos Patres 37 his verbis allocutus est:

Venerabiles Fratres. Inter eos quos in præterito Consistorio, de unanimi Fraternitatum Vestrarum consilio pariter & assen-

C

su

su Cardinales creavimus, fuit, sicuti nostis, dilectus Filius, Gabriel Philippuccius, Signature Justitie Votans. Curaverat is quidem prius nobis non obscure indicari animum suum a tanta dignitatis, quam sibi deferendam audiverat, fulgore refugientem, sed, ut verum ingenue fateamur, Christiana bac & rā. Viri humilitas potius nos in suscepito consilio magis confirmavit. Clarius ille postmodum ac disertius sensus suos aperuit, supplici libello nobis in eodem Consistorio per dilectum Filium nostrum Galliatum, Cardinalem Mariscottum porrecto, cuius tenorem tunc audivisti, & bodie iterum audietis. Nolumus bac in re quidquam tunc inconsulta celeritate decernere, sed foliā eidem Gabrieli longius tempus ad deliberandam concedere velle declaravimus, ut tam suis, quam aliorum precibus divinam voluntatem accuratius exploraret, sperantes profecto, tametsi a compellendo invitum vere essemus alieni, quod ipse serius animo reputans, se per ministerium nostrum a Deo vocatum fuisse, iudicio tandem nostro acquiescere deberet, ac non minus amicorum lacrimis, quam suasionibus flecti; verum aliter omnino res accidit. Ille siquidem propositi tenax, accepto gesta rei nuntio, idem, quod antea, constantissime semper sensit; idem quod antea, demississime semper precatus fuit. Nullum interea nos, adhibita ad inspectata pietatis & prudentiae virorum opera, bortationis genus omisimus, quo optimum Senem de suscepta sententia deduceremus, ac rationes, quibus ille causam suam orabat, rejiceremus; omnia tamen irrito conatu: nec solum irrito, sed ei insuper gravi adeo & molesto, ut ipsa ejus vita in propinquum inde discrimen pene adducta fuerit. In hoc rerum status quid consilii capere deberemus, a compluribus ex Fraternitatibus vestris, quarum fideli in situ Pontificia sollicitudinis curas deponere consuevimus, libentissime exquisivimus, & sane re mature ac diligenter, quemadmodum vestri moris est, discussa, nullam renuenti vim adhibendam esse unanimes censuistis. Interim idem Philippuccius, ne de constanti ejus voluntate recusandi, refutandi, ac etiam renuntiandi Cardinalatum, unquam dubitari

con-

tingeret, omnia & singula in supplici superius enunciato libello contenta, confirmando & ampliando uberioris adhuc & solemnius animum suum bac in re declaravit, publico desuper celebrato instrumento, quod mox a Secretario Collegii Vestri legendum erit.

Perlectum subinde fuit a D. Secretario Collegii elata voce memoratum instrumentum, tenoris, qui sequitur, videlicet:

In DEI Nominē, Amen. Anno Incarnationis Domīnica Millesimo septingentissimo sexto, die trigesima prima Maji, Indictione XIV, regnante Sanctissimo Domino Nostro, Clemente, Papa XI, Anno ejus Pontificatus sexto.

Cum sit, prout afferitur, quod ante aliquot menses in ore atque sermone Curialium hujus alma Urbis exortus fuerit rumor, Sanctissimum Dominum nostrum inter ceteros Sacrosanctā Romana Ecclesia Cardinalium Collegio a Sanctitate sua adscribendos assumere statuisse etiam Illustrissimum & Reverendiss. Dominum Gabrielem Philippuccium, Signaturā Justitiae Votantem; ejusmodi vero rumor diebus proxime precedentibus novissimum Consistorium habitum die 17 labentis Mensis Maji, maxime percrebuerit; unde idem D: Philippuccius, tali rumore audito, tametsi illum falsum existimaverit, valde tamen timens, ne verum esse contingret, Eminentissimum & Reverendissimum Dominum Cardinalem Mariscottum rogaverit, ut eundem Sanctissimum ab hujusmodi consilio, quatenus illud suscepisset, removere conaretur, eique exponere dignaretur causas, ob quas tanta dignitatis oneribus ferendis se prorsus imparem agnoscebat, adeoque illam nunquam acceptare potuisset, quinimo expavescens, ne Sanctitas sua in Consistorio supra dicto cum Cardinalem crearet, ipsi Eminentissimo Mariscotto supplicem libellum manu sua scriptum & subscriptum dicto Sanctissimo porrigidum in actu Consistorii tradiderit, in quo constantem animum suum nequaquam assentiendi sua creationi in Cardinalem, eamque dignitatem refutandi, repudiandi, & renuntiandi apertissime declarabat.

Cumque etiam sit, quod dictus Eminentissimus Mariscottus etiam ante Consistorium predictum Domini Philippuccii sensus, ea qua decebat, circumspectione & reverentia eidem Sanctissimo innuere non omiserit, ut eum a proposito removeret. Verum Sanctitas sua bujusmodi accepta notitia in sua potius sententia constantior perseverans, sive forsan concepta, quod dictus D. Philippuccius, prout alii alias fecerunt, tandem assentiret, illiusque animus rationibus & insinuationibus Amicorum flecteretur, eum in supra dicto Consistorio diei 17 labentis Mensis una cum aliis pluribus S. R. E. Cardinalem creaverit ac pronuntiaverit, quemadmodum constat ex decreto Consistoriali dicta Creationis, & notorium est.

Sitque etiam, quod statim edito dicto decreto idem Eminentissimus & Reverendissimus Mariscottus, assurgens in prefato Consistorio, dictum supplicem libellum scriptum, subscriptumque ab eodem Reverendissimo Philippuccio, Sanctissimo exhibuerit, & Sanctitas sua illum legendum tradiderit Eminentissimo & Reverendissimo Cardinali, Benedicto Pamphilio, priori Diaconorum, qui illius tenorem audientibus & intelligentibus omnibus Eminentissimis D.D. Cardinalibus, qui dicto Consistorio interfuerunt, de verbo ad verbum, palam & publice legit & publicavit, uti patet ex Actis Consistorialibus, atque ex ipso supplici libello originaliter mibi tradito, ad effectum eum inferendi presenti Instrumento, cuius terror bujusmodi est:

Beatissime Pater. Invaluit rumor &c.

Omittitur integrum supplicis libelli exemplum, quia alibi, nempe superiori folio 6, insertum fuit.

Sitque itidem quod idem Sanctissimus Dominus Noster, super prefata instantia, nihil tunc in dicto Consistorio decreverit, sed solum se longius tempus ad deliberandum in re tam gravi eidem Domino Philippuccio dare velle declaraverit, ac subinde mediante opera gravissimi Viri, quem ad ejusmodi munus delegit, nullum borta-

*bortationis genus omiserit, quo ipsum D. Philippuccium a suscep-
to consilio deduceret, atque ad accipienda Cardinalatus insignia urgeret,
validissimis ad id allatis rationibus, imo etiam munificentissimis ad-
ditis oblationibus, quibus domestica ejus rei angustiis abunde subven-
tum esset. Verum omnia inutiliter & in cassum gesta fuerint.*

*Hinc est quidem in mei Ceremoniarum Sanctissimi Domini Nostri
Magistri ac Protonotarii Apostolici, testimoniis infra scriptorum pre-
sentia constitutus idem Illustris & Reverendiss. Dn. Gabriel Philip-
puccius, Maceratensis, mihi cognitus, cognoscens suas vires omnino im-
pares esse ad tantæ dignitatis onera ferenda, ex causis in relato sup-
plici libello recensitis, ne unquam in futurum dubitari contingat de
ejus voluntate, & ne amplius sub anticipi remaneat vis & robur di-
cti decreti Consistorialis, in quo S.R.E. Cardinalis pronuntiatus fuit,
premissis humillimis precibus, quibus exorat Sanctissimum Domi-
num nostrum, ut dignetur ea paterna pietate, qua fulget, benigne
admittere excusationes suas in relato supplici libello enunciatas,
& animum suum a maximis angustiis eripere, premissaque iti-
dem solemnis declaratione, qua innumeras Sanctitati sua rependit
grates, quod indignum & humillimum servum, subditumque
suum ad tam eminentem Ecclesie Catholice gradum evehere
cogitaverit, sponte & ex animi sui matura & constanti de-
liberatione fatetur, & afferit rem universam superius narratam
esse veram, & supplicem libellum, juxta tenorem superius relatum,
fuisse a se traditum Eminentissimo Cardinali Mariscotto ante pre-
fatum Consistorium diei 17 currentis Mensis Maji, omniaque & sin-
gula in dicto supplici libello a me coram infra scriptis testibus eidem
tradito, & ab eodem lecto, & attente ponderato, mihiique sta-
tim restituto, contenta laudat, probat, ratificat, & emulgat,
illumque integrum & prout jacet, manu sua scriptum & subscri-
ptum medio juramento tactis &c. fatetur, ac eo animo & firma
intentione dicto Eminentissimo Mariscotto esse traditum affir-
mat, ut dictus Eminentissimus illum exhiberet Sanctissimo in Con-*

sistorio, quatenus Sanctitas sua cum inter Cardinales creandos non minasset eidemque Sanctissimo, & universo sacro Eminentissimorum D. D. Cardinalium collegio constans ejus animus innotesceret, nequaquam tantam dignitatem, cui se imparem omnino intelligebat, & intelligit, acceptandi, immo eam preventive, repudiandi, refutandi, & renuntiandi. Declarat preterea iterum atque iterum, se neque ante dictum Consistorium, neque dicta creationis in Cardinalem tempore, aut postea, & usque in praesens eidem creationi in Cardinalem assensum suum unquam prestitisse, immo semper & constanter repugnasse, & repugnare, & tantam dignitatem humeris suis gravissimam se semper repudiasse, refutasse, & renuntiassse, prout iterum eam repudiat & refutat, & quatenus opus sit, omni & cuicunque juri, tam ad rem, quam in re, tam initiato, quam perfecto, & si quod acquirere potuisset, vel acquisiverit ex creatione, pronuntiatione, & decreto Consistoriali in manibus ejusdem Sanctissimi renuntiat, & dimitit, nullo jure sibi prorsus reservato, facultatem plenariam & opportunam impariendo Reverendissimo Domino Secretario Sacri Collegii Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium, & cuicunque persona Sanctissimo bene visa, banc refutationem, repudiationem, & quatenus opus sit, renuntiationem suam eidem Sanctissimo, & Collegio exhibendi, ac pro eo humillime supplicandi Sanctitati sue, ut dignetur illam admittere, seque quod reliquum vitæ sibi superest, in sua vocatione, & quiete transfigere permittat. Actum in palatio ejusdem Illustrissimi, & Reverendissimi D. Gabrielis Philippuccii, presentibus Illustrissimis & Reverendissimis D.D. Petro Annibaldensi de Molaria, Signatura Justitia Votante, & Antonio Francisco de Grasiis, Cardinalibus Sacrosancta Ecclesie Lateranensis testibus vocatis, & rogatis. Ita est. Candidus Cassina, Novocomensis, Sanctissimi D.N. Papæ Cæmoniarum Magister & Protonotarius. Loco (X) sigilli.

Abso-

Absoluta instrumenti recitatione Sanctissimus incepit orationem his verbis prosecutus est:

His omnibus attentis, Beati Gregorii predecessoris nostri exemplum sequentes, qui invitum neminem Episcopale onus subire Apostolica iussione coegerisse unquam reperitur, recusationem, repudiationem, seu renuntiationem a prefato Gabriele Philippuccio, sicut premititur, factam admittere intendimus, eidem Gabrieli forsan aliquando illud ipsum dicturi, quod predictus Beatus Gregorius cuidam Sebastiano, qui commissum sibi ab Anastasio Patriarcha Ecclesie regimen recusaverat, rescripsit, videlicet: Sensus ac sapientiam vestram valde ego libenter amplexus sum, laudavi vehementer, & vos felices, me infelicem esse deputavi, qui hoc tempore regimen Ecclesie suscipere consensi. Faxit divina bonitas, que omnia sapienter disponit, ex humili hac amplissima dignitatis recusatione, non minus utilitatis & ornamenti in Ecclesiam derivari, quam ex tot praestantium virorum laboribus, qui gravia ejusdem dignitatis onera non refugerunt.

Quid vobis videtur?

Auditis postmodum viginti quatuor Eminentissimorum Cardinalium sententiis, (nam reliqui tredecim recentiores a ferendo suffragio abstinere debuerunt, quod nondum ipsis ea facultas a Pontifice tributa foret) cum singuli Cardinalatus refutationem a Reverendissimo D. Philippuccio factam admittendam esse unanimis censuerint, Sanctissimus ejusmodi refutationem, atque renuntiationem Apostolico solemni Decreto sequentibus verbis concepto admisit & approbavit:

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, ac Nostra.

Admittimus recusationem, repudiationem, seu refutationem, & quatenus opus sit, renuntiationem, ac dimissionem juris, quod acquiesscit vel acquirere potuit prefatus Gabriel Philippuccius ex ejus promotione ad Cardinalatum in superiori Consistorio per nos

nos facta, ejusque locum vacantem, ut prius, declaramus, perinde ac si promotio de illius persona facta nunquam fuisset. Præterea quatenus opus sit, & ad abundantiorem cautelam, concedimus ei retentionem Canonicatus & Præbenda Ecclesie Sancti Joannis in Laterano, nec non officii Doctoris Decretorum Pœnitentiarie Apostolicae, ac pensionum omnium Ecclesiasticarum, quas de presenti obtinet, cum derogationibus & clausulis necessariis & opportunitatis: In Nomine Patris + & Filii + & Spiritus + sancti. Amen.

Deventum postea fuit, ut moris est, ad propositionem & respective præconium plurium Ecclesiarum; quibus finitis Sanctissimus ita rursus locutus est:

Venerabiles Fratres. Locum Collegii vestri, quem admissa nuper recusatione, repudiatione, seu renuntiatione dilecti Filii Gabrielis Philippucci, ut prius, vacare declaravimus, absque ulla cunctatione implere volumus, ideoque ad majorem Omnipotentis Dei Gloriam, ac Sanctæ Romanae Ecclesie præsidium, & decus, creare intendimus, Presbyterum Cardinalem, Venerabilem Fratrem, Michaelem Angelum de Comitibus, Archiepiscopum Tarsensem.

Quid Vobis Videtur?

Singuli Eminentissimi Cardinales Seniores, silentibus cæteris junioribus, ob superius enuntiatam rationem ante dicti Reverendissimi de Comitibus, Archi-Episcopi Tarsensis, generis nobilitate, virtutibus & meritis honorifice commemoratis, illi us in Sacrum Collegium cooptationem unanimi sententia comprobarunt. Quocirca sua Sanctitas ipsum subinde S. R. E. Presbyterum Cardinalem creavit, & pronunciavit, adhibita consueta verborum formula, videlicet:

Auctoritate omnipotentis Dei, & S. S. Apostolorum Petri, & Pauli, ac nostra creamus S. R. E. Presbyterum Cardinalem Michaelem Angelum de Comitibus, Archi-Episcopum Tarsensem, cum derogationibus & clausulis, necessariis & opportunitatis: In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Postre-

Postremo Sanctissimus ut eximiam suam, ac vere paternam in D. Philippuccium charitatem aliquo alio minime respuendo beneficii genere declararet, simulque ejus honestæ sutentationi opportune prospiceret, peracto Consistorio illi attribuit, & assignavit annum subSIDIUM mille scutorum monetæ Romanæ, quoad vixerit, ex Cameræ Apostolicae proventibus persolvendum; insuper officium Votantis Signaturæ Justitiæ ab ipso dimissum, ejus ex sorore nepoti D. Francisco de Vico, in Romana curia Advocato, benignissime detulit, ac demum eundem D. Advocatum, quo commodius atque decentius suscipiendi muneric onera ferre posset, Canonicatu Lateranensis Ecclesiae, qui jam dudum vacabat, auxit, ornavitque, sacro plaudente senatu, universaque propemodum urbe Pontificiam munificentiam, ac æquitatem, quibus par erat, laudibus prosequente,

F I N I S.



D

Ap.

Appendix,

*de novendecim Cardinalibus, die 17 Maii 1706
creatis, notatu digniora continens.*

Presbyteri:

Franciscus Martellus, Florentinus, Patriarcha Hierusalemitanus, & plurimis aliis gravissimis officiis in aula Romana, & postremo Secretarii imprimis Congregationis, ut vocant, *della Consulta* munere functus, ad senilem ætatem pervenit.

Joannes Badoero, Nobilis Venetus, a Republica Veneta denominatus, Aquilejensem Patriarchatum obtinuit.

Laurentius Casonus, Sergianensis, Archi-Episcopus Cæfareæ, Vir doctissimus, ab Innocentio XI, Pontifice, in officio Secretariatus Brevium D. Favorito suffectus est, quo tempore odium Gallorum in se concitatavit, quod auctoritatem Apostolicam adversus concilium Galliæ scriptis propugnasset. Hunc ut ex aula Pontificia Gallorum instinctu amoveret Alexander VIII, Pont. Max. Nuntium misit Neapolin, qua in urbe mansit, donec modernus Pontifex Romam revocato munus Assessoris S. Officii conferret, tandem

demque purpuram, ne quicquam obstrepenibus Galis, superadderet.

Laurentius Corsinius, Florentinus, præter plura alia officia, Thesaurarii Generalis Cameræ Pontificiæ munus adeptus est, quod non minus atque Archi-Episcopatum Ravennensem, nunc quoque ubi Cardinalem numero accessit, retinet.

Laurentius Fliscus, Genuensis, e cuius familia prodiit Papa Innocentius IV, Archi-Episcopatum Januensem haud ita pridem obtinuit.

Franciscus de Aquaviva, Archi-Episcopus Larissensis, e celeberrima Neapolitanorum familia oriundus, ab Innocentio XII Nuntius in Hispaniam missus, ad hunc usque diem illic commoratur.

Thomas Ruffus, Neapolitanus, Archi-Episcopus Nicææ, ab Innocentio XII Pont. Cubiculi præfectus constitutus est, eodemque munere sub Clemente XI functus, donec ad Cardinalitiam dignitatem evehetur.

Horatius Philippus Spada, Nobilis Lucanus, post variæ munia, quæ summa cum laude Romæ obiit, ab Innocentio XII, P. M. titulum Archi-Episcopi N. & Episcopi Lucani nactus etiamnum in Polonia commoratur.

Philippus Antonius Gualterius, e præcipua Urbevetanorum familia, proximus agnatus Cardinalis Pamphilii, primum Avenionem missus est, ad obeundas Vice-Legati partes, inde vero Archi-Episcopi Neapolitani & Episcopi Imolensis dignitate auctior, Nuntius in aulam Gallicam perrexit.

Christianus Augustus, Princeps Saxo-Cicensis, cum Catholicam religionem amplexus esset, atque inde Romanum, regnante Innocentio XII, pervenisset, statui Ecclesiastico se consecrare coepit, eoque benevolentiam Sanctitatis suæ lucratus litteras commendatitias ad Imperatorem impetravit, nec non Breve, quo aptus ad adeundum quemicunque in Germania Canonicatum reddebat, quandoquidem & brevi post Canonicatus, Colonensem, Leodiensem, Monasteriensem, & Salisburgensem, accepit, demumque anno 1696 Episcopus Jaurinensis & Anno 1701 Coadjutor Archi-Episcopatus Strigoniensis factus est.

Raynutius Pallavicinus, Placentinus, ab Innocentio XII, P. M. in locum Cardinalis Spinolæ constitutus fuit Gubernator urbis Romæ, quo officio cum defuneretur, visus est nimium Gallis obnoxius, eoque in Martinitii & Lambergii, Comitum, qui ab aula Cæsarea ad Pontificem alegati erant, odium incurrit;

rit; quamobrem ne is ad Cardinalatum evehetur, magnopere laborabant Austriaci. At quoniam Casonus, ut diximus, contra Gallorum vota dignitatem eam fuerat consecutus, Austriacis in Pallavicini promotione pariter fuit acquiescendum.

Joannes Dominicus Paraccianus, Romanus, non minus in foro, (fuit enim causarum patronus) quam aula inclaruit; unde modernus Pontifex eum Auditorem primo suum, deinde utriusque Signaturæ Referendarium, demumque Cardinalem constituit.

Alexander Caprara, Bononiensis, vir gravis & ætate jam provecta, a longo tempore aulæ Pontificiæ inservivit, & primum quidem Auditor Rotæ Romanæ, civium suorum commendatione, inde vero Director Pœnitentiariæ (vel si quid aliud intelligitur verbis illis *la reggenza della penitentiaria*) factus est.

Josephus de la Tremoille, Gallus, cuius soror, Ducas quippe Brygianensis (*di Bracciano*) qui Romæ vixit, vidua, digna fuit viſā Regi Galliæ, quæ nepotis ejus Philippi sponsam, velut nutritiæ titulo in Hispaniam comitaretur, a Rege suo Auditor Rotæ Romanæ nominatus est, & ante paucos annos Vicarii Regii ho-

mine ab eodem Philippo Neapolim missus, tandem & Hispanorum & Gallorum commendatione ad Cardinalis dignitatem pervenit.

Gabriel Philippuccius, Votans Signaturæ Justitiae, natus Maceratæ, homo doctrina & virtute conspicuus, qui cum prævideret, Pontificem sibi Cardinalitiam dignitatem destinasse, eam confessim deprecatus est litteris supplicibus, quas Marescottus, Cardinalis, in antecedenti Consistorio Pontifici tradidit, cumque hic nihilominus Cardinalem eum pronuntiasset, constanter munus illud renuit, & quo magis effugeret aliorum suasiones, apud Patres Oratorii S. Philippi Neri delituit. Hinc in morbum incidit, quo et si paulisper esset recreatus nuntio Pontificis, quod liber ab illo onere futurus esset, postea tamen die 15 Julii diem obiit, & Romæ sepultus est.

Carolus Augustinus Fabronus, Pistoriæ civilibus parentibus natus, ab Innocentio XII Referendarius utriusque Signaturæ, & paulo post etiam Secretarius Congregationis de propaganda fide factus, quod munus sub moderno quoque Pontifice tenuit, cum abusus religiosorum ingenti zelo tollere conaretur, eorum in se odia concitavit quidem, sed hoc magis Summi Pontificis favorem sibi conciliavit, unde Cardinalitiam dignitatem haud immerito consecutus est.

Dia-

Diaconi:

Carolus Columna, Romanus, Frater Principis Comes stabilis Columnæ, cum statui Ecclesiastico se addixisset, ab Innocentio XII Protonotarius Apostolicus, & Palatii Apostolici Praefectus constitutus est, quod munus tam strenue obiit, ut Cardinalitatem dignitati patet utique videretur.

Petrus Priolus, e nobilissimis Venetorum familiis oriundus, cum Ottobonorum familia propinqua sanguinis cognatione junctus est, quam ob rem cum alia quoque eum commendarent, ante paucos annos Auditoris Rotæ Romanæ munus adeptus est.

Nicolaus Grimaldus, Januensis, cum per varios honorum gradus ascendisset, tandem Referendarius utriusque Signaturæ, & Secretarius Congregacionis Episcoporum & Regularium constitutus est, quibus muneribus cum ex fide praesesseret, ad dignitatem Cardinalitatem viam sibi paravit.

Cum Philippuccius in sententia persisteret, Sanctitas sua in ejus locum Cardinalem constituit Dominum Conti, Ducis de Polifratrem, Romanum, qui hactenus in Lusitanâ Nuntii Pontificij munere funetus, dignissimus purpura creditur Romanis fere omnibus, quos inter viros speciatissimos propinquos & affines habet.

San-

Sanctitas sua unicum in pectore servavit Cardinalem, quem futurum vulgo credunt D. Davia, qui Nuntius Apostolicus in aula Cæsarea fuit, quanquam ii, quibus res penitus perspectæ sunt, eum gratia summi Pontificis excidisse existimant, quoniam, illo neutiquam jubente, Viennam proprio aulū reliquit, sub prætextu imbecillæ sanitatis, quam se recuperaturum sub patrio cœlo sperabat. Alii tamen expugnari tandem Sanctissimum posse arbitrantur, ut eam dignitatem conferat D. Annibali Albano, maxime cum jam novus etiam locus, extincto Barbadigo, in E. E. Cardinalium Collegio vacet.

S. D. G.



